

Ante hos aliquot annos rei litterariae causa publice optaveram, ut Ruhnkeniana haec in Terentium Dictata, quae Brunsii primum opera prodisse constat, ad melioris apographi fidem, quam posset integerrime edita legerentur. Cuius desiderii exspectationi cum tantum non desperarem, unquam fore ut iusta, et quae maximo in his litteris nomine haud indigna videretur, libelli editione satis fieret, necopinanti mihi, sed quo nihil exoptatius esse poterat, eius rei adornandae munus obvenit. Fuit enim haec praeceptoris mei, Caroli Frid. Heinrichii, singularis erga me gratia, ut cum Hamburgi quondam apud Ioannem Gurlittum V. C. Dictatorum exemplar, eo, quo Brunsius usus est, longe praestantius, auspicato invenisset, id a viro optimo, cuius humanitatem litterasque adiuvandi studium bene nosset, ultro sibi meum in usum conciliaret. Nactus igitur apographum, quod quale ad novam, quam expetii, editionem esset praesidium, ex specimine

eius, non ita pridem a Gurlitto proposito, cognoram, nihil quidquam habui antiquius, quam ut Brunsianum exemplum ad huius fidem religiosissime omnino exigere. Et quam praeclare mihi, non describendi tantum munere defungenti, operae fructus constiterit, locis prope innumeris, quos a foeda mendorum labe ad integritatis suae nitorem revocavi, ambitiosius hic recensendis cuivis possem, si tanti esset, ostendere; sed, ne viri existimationi, optimis artibus paratae, minus consuluisse videar, aliorum id esto iudicium, siqui meam hanc editionem cum altera comparare velint. Illud certe si effecero, ut, quam in reliquis Ruhnkenii scriptis singularem admiramur humanitatis elegantiaeque venustatem, eandem huic mea qualicunque cura viri intelligentes feliciter reconciliatam agnoscant, satis uberes molestiarum, quibus in emendando eo conflictabar, fructus consecutum me esse existimabo. Scrib. Bonnae ipsis Cal. Nov. 1824.

---